



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Pars Altera Libri XVIII

**Ripamonti, Giuseppe**

**Mediolani, 1625**

Liber Secundus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11182**



IOSEPHI RIPAMONTII  
 E COLLEGIO AMBROSIANO  
 HISTORIARVM  
 ECCLESIAE MEDIOLANENSIS  
 PARS ALTERA  
 Liber Secundus



**C**ARCHENVM est in a-  
 gro Mediolanensi non obscuri  
 nominis pagus , ob arcem , que  
 ibi par magnarum urbium arcibus  
 & valido munita praesidio, per ho-  
 rum temporu tumultus fuerat praec-  
 cipua sedes belli, cum, aut appeteret  
 semper eam stationem hostis , aut nostri inde in  
 barbaros excurrerent , ideoque creuerant muni-  
 menta loco , partis vtriusque cura , prout scilicet  
 hi, vel illi , variante fortunam marce, potirentur. Erat  
 Ecclesiae Mediolanensi beneficiario iure nominatim  
 attributa iam inde ab eo tempore, cum Carolus Ma-  
 gnus rara liberalitate res Italas in Archiepiscopum  
 exoneraret. Nunc bello inter Federicu, & Mediolanē,

M

scs

ses renouato, cum nobiles aliquot, ut in magna Ciuitate, sese à caeteris abrupissent, atque fauentes hosti, vnà cum eo ad patriae excidium conspirassent, Carcheniensem hanc arcem occuparant, siue dolo, cum adhuc essent in parte Reipublicæ, siue post defectionem, armis; nam vtrunque credi potest, neutrum tamen scriptoribus affirmatur. Certè ibi grande momentum erant, ob gratiam, & opes, & animos desperatos, vnde præceps audacia ipsis, & varijs eorum artibus quotidie sollicitati complures in flagitium traherentur, iamque desertores iniecerant curam Archiepiscopo, Consulibusque, negligente in dies potentia, validior ea pro Caesare manus foret, quam cõsensus vniuersae Ciuitatis, & publica in hostem arma. Iam ipsis quoque milites, & imperium, & signa propere faciem exercitus; pecuniasque belli neruos tum ipsi cumularant, diu fortasse meditato consilio, tum in dies accipiebant à Caesare, qui praesidium hoc in hostium habere terra iuxta victoriam rebatur. Angebat Archiepiscopum, caeterosque Ciuitatis principes indignitas, si patriae proditores inualescerent, si dedecus illud imponeretur vrbi, quae ciuium virtute, magnum sibi nomen, magnumque imperium fecisset, atque ob egregiam olim suorum fidem clara foris, domi potens haberetur. Ita demere sibi ignominiam, idque Caesari auferre subsidium parant, atque Cenomanorum auxilijs, Carchenum succedunt, nisi pugnae potestas fieret, quamuis diuturna obsidione parati rem gerere. Directatur praelium: inclusi intra  
arcem.

arcem desertores obsidione cinguntur. Sed nimis  
 lentae spei negotium erat, vel subigere fame obsessos,  
 vel perturbare munimenta, vel animorum inclina-  
 tionem expectare; quippe cum prouisa intus omnia,  
 & obstinata inter ipsos fides esset, ac finitimi quoque  
 iam talibus assueti dominis imperium urbanum auer-  
 sarentur. Nec tam validus erat in agrestium animis  
 Archiepiscopus, quam Caesar, & nomen amabile  
 libertatis, quae promptissima in bellis est eorum ille-  
 cebra, qui iure, ac viribus inferiores conciliare sibi  
 studia multitudinis volunt. Cum igitur ob eas dif-  
 ficultates, obsidionis mora displiceret Archiepisco-  
 po, quod vnicum remedium habebat, id ipsum sta-  
 tuit experiri. Defigit diris inclusos, & execrationis  
 eius horribile carmen proponi iubet omnibus de mo-  
 re locis, simul priuat eos omni iure quod vsurpassent,  
 insignia, titulos, dominatus omnes, quaeue alia su-  
 perbam faciunt nobilitate, abrogat ipsis adimitque.  
 Carchenum vero nominatim repetit in Ecclesiasticum  
 imperium, vnde hominum illorum scelere exci-  
 disse. Verba edicti in hunc modum fuere. Quia  
 constat, arcem ad Carchenum, ipsumque locum,  
 & circumiecta loco, pagos, agros, nemora, vineas,  
 aquas esse iuris Ambrosiani, eamque arcem, & lo-  
 cum, & eos pagos, agros, nemora, vineas, aquas,  
 impuri homines rebelles Ecclesiae, patriae suae hostes  
 occupauere; nos, autoritate qua pollemus, ipsos  
 quidem ferimus anathemate, Carchenum vero, sicuti  
 antea fuit, ita in posterum esse Ecclesiae Mediolanensis de-

claramus. Haec forma fuit edicti, quo rebelles Ecclesiae, satellites Caesaris deuouit Archiepiscopus, sperabatque posse illos, vel ignominia, & damno rerum suarum, vel diuino saltem terrore commoueri. Sed in animis imbutis odio patriae, atque per proditionem exsolutis, religiosi, ac sancti nihil erat, & spernebant praesentia, qui spes in posterum immensas agitabant. At Caesar, ubi premi suos obsidione, insuperque caelestis à Pontifice diras esse intetatas cognouit, coacto quanto maximo posset exercitu, ferre suppetias maturat. Conciuerat in eam expeditionem multarum auxilia gentium, quae debuerant ex anteacondicto militem Caesari, quae uelutro in id discrimen contulere, neque difficile fuit à tam valido iam hoste superari Mediolanenses, & frangi. Carrocium quoque, ut ignominia cladem auget, amiserit; quo casu magnus animus Archiepiscopi vehementer est perturbatus, indeque flagrantior in rebelles ira. Illos tot malorum esse concitores reputabat; & quamquam ne principio quidem omisisset, quae prudentia militaris, quae uelut tempus, & praesens conditio rerum admonerent, tamen maiore aliquo, vel consilio, vel conatu rem esse gerendam ratus, accitis ab Orsenico, & Herba copijs (ea tunc valida erant municipia, nunc ignobiles pagi) securos ab re feliciter gesta victores aggredditur. Sic exercitus imperatoris caesus, fugatusque est, & amissi Carrocij dedecus pari hostium dedecore, & clade compensatum, fugientique Caesari receptaculum fuit Baradellum (ad nomen arol ad No-

uocomum in suburbani montis vertice) reliqui pertractus eius auia dissipati. Vna res tamé Archiepiscopum, & Consules, quominus sincero infidae illius victoriae gaudio fruerentur, angebat, quòd scilicet rebelles intra Carchenum inclusi perseverarent immutabilibus in Caesarem animis, & pertinaci erga illum fide. Non coelestes apud eos valere minas, quae fletere quamuis impios deberent, non clades, & improspera belli, quibus etiam indomita virorum pectora frangerentur. Caesarem, ex diuerso, subsidium illud reliquum, & in afflictis rebus, ea residua spes, ne retro cum ignominia, vnde victoriae certus venerat abiret tenebant. Et Cremonenses perpetui Mediolanensium hostes, facta cum Laudensibus coniuratione, missisq; peditum, & equitum auxilijs conati sunt alere bellum, atque trepidantem inter consilia manendi, vel abeundi Imperatorem confirmare. Verum, frustra ipsis, nec sine magna clade id incoeptum fuit. Cum enim auxiliares copiae Marlianum vsque peruenissent cataphractus eques, qui fortè illac iter habebat, ratus id quod erat, hostes esse, & ad hostem pergere, quanta maxima potuit festinatione se se proripit in Mediolanensium castra, consulibusq; nuntiat rem. Itur obviam; pugnatur acriter; accurrit quoque serum auxilijs suis auxilium Caesar ipse, finisque pugnae fuit Cremonensium strages, Caesarianorum iterum fuga, victoria nostris, quo nuntio rebelles ad Carchenum intremuere, sublatisque rebus, & incenso Castello turpi agmine discesserunt. Id accidit ad viij. Cal. Septembris

rembris, anno salutis humanæ millesimo centesimo sexagesimo primo, qui dies quodammodo natalis Urbis est visus, ob recuperatâ arcē ademptumque Caesari praesidiū, cuius praecipue fiducia toties in arma coortus fuerat. Archiepiscopus inde, & Consules, ut honoribus eorum, qui strenuam in eo bello Reipub. operam nauassent, ceteri quoque in posterum incitarentur, cum alijs alia praemia persoluere, tū Orsenigo, & Herbae municipijs, concessere onerum immuniratem, quae antea pari cum caeteris iure sustinebant. Carcheno recepto, dilapsa rebellium manu, Caesare etiam superato respirabat Ecclesia Mediolanensis, Archiepiscopusque Pirouanus, quod ad rem consilio gerendam vnâ cum Consulibus adfuisset, haud dubie parens, & liberator Urbis habebatur. Sed Federicus animi ferox, atque ardens in destinata circumibat inimicas Mediolanensibus Vrbes, cladēque suam eleuando verbis, & onerando urbem nostram inuidia, quod superba, quod impotens foret, appeteretque dominatum in omneis, facile contraxit auxilia, queis bellum repararet. Iurauere in illius verba praeter caeteros, tres Insubrum Episcopi, qui Nouariam, Vercellas, & Hastam nomine sacrorum obtinentes, premebant imperio; ciues, & arma penes ipsos, & aemulatione Metropolitae prompta in Caesarem studia. Hi numerū militum, quem imperasset Caesar, cum ad certam diem misissent, leuibus certaminibus ille per aestatem exercuit Placentinos socios, & amicos populi Mediolanensis, vicissimque Placentini foederatos Caesaris

audiret

cxcr-

exercuere paribus ab vtraque parte damnis; satisque constabat, militū, adhuc non fortunae accessionē esse factam Imperatori. Peruenerat in Germaniam harum fama rerum, & passim fremebant in omnibus concilijs, dedecus esse tum Germaniae totius, tum proprium eorum, qui forent annexi Caesaris domui, si ille tamdiu conflictaretur in rebellium terra, sique vnus superbae vrbs violentia, tam felix aduersus aeternam, Imperij maiestatem foret. Itaque flagrantēs, & properi suo more, pronunciant, quantum quisque militum dare in eam expeditionem possent, & die cōstituta proficiscuntur in Italiam, minitantes malum Vrbi Mediolano, quæ quia non vinceretur, vinci posse Caesarem doceret, exemploque suo ceteras incitaret gentes ad rebellandum. Rediēte Principes gentis, qui iam fuerant in Caesaris exercitu, compluresque alij, sui quisque ductores agminis, millia in vniuersum quinquaginta; praeterea ex alijs gentibus infinita propemodum multitudo, cuius adspectu laetus Federicus, differuit apud Principes tanto spiritu, quantum erat odium in Mediolanenses, & quanta spes victoriæ de Vrbe, quæ nominis sui famam ad eum diem veluti duceret in triumphum. Illos Archiepiscopo concitore derectate imperium ausos, quod Orbis terrarum accepisset, inuidisseque Germanorum gloriæ, dedecorasse sacra, & nomen Imperij. Subigendos esse, delendos ad interuencionem, vt ne nomen quidem, & memoria tā

ingratae Urbis ad posteros perueniret. Proinde accingerentur in iustum, piumque bellum, ingentemque gloriam, & cum gloria praedam capesserent. Haec Barbarus, & alia, quae vana non fuisse, haud perinde virtute ipsius, quam superum erga res nostras ira, ob turbidos animos, certamina potentum, atque discordem nuper, & auulsam Ecclesiam ab Romani Pontificis auctoritate. Sic accensi proceres accendunt deinde suos varijs incitamentis, prout in illa gentium, & nationum varietate, diuersi etiam animorum habitus erant. Ad x. Cal. Iunias ingressa Mediolanentium fines hostilis efferata multitudo, rectorum, & agrorum vastatione rabiem exercuit; nihil herbidi, nihil frugiferi relictum, & tēpla, quoque quae pagatim sacra erant, aequata solo, vt pauidi intra mœnia Cives, ex rerum inanimarum strage futura mstragem excidiumque coniectarent. Urbem deinde ipsam aggressi barbari validiora omnia, quam vt primo impetu irrumperere possent, reperere. Id obsidioni principium fuit, cuius vestigia, & stationes monstrantur in annalibus, ad D. Calimeri: ad D. Barnabae: ad D. Stephani: ad D. Dionysij. Circum ea loca fixa fuisse tentoria principum tradunt; pugnae interim erant inter obsidentes, & obsessos, quales ex occasione partis vtriusque conferri solent. Sed Federicus, non armis tantum, & omni obsidentium arte bellum gerere satis habuit, nisi gereret etiā edictis, & litteris, Archiepiscopoque Mediolanensi sacros terrores vltro  
 inten-

intenteret. Cùm enim ad laudem fortè Pompeiam de maximis Imperij, & Ecclesie rebus, Cardinales, Proceres, Episcopi conuenissent, ibiq; concilium haberetur, ipse profectus eò petijt à patribus, & impetrauit, vt Vbertus Archiepiscopus, Consulesq; Mediolanenses anathemate ferirentur, idque carmen, & ea execratio in Placentium item Episcopum, & omnes alios, qui cum Mediolanensibus arma consociassent est promulgata. Redijt inde Mediolanum Imperator, antegressa iam fama minacis edicti, quae non fregit animos obsessorum, sed irritauit. Nam, & Archiepiscopus, acrior contumeliae suae vindex factus, quàm antea fuerat libertatis, tanto magis hortari, confirmare suos, nulli rei deesse, quae ad sustinendam in tali tempore ciuitatem pertineret; & ciues ipsi, Pontificis notam dedecus esse suum rati, facti erant ob iram audaciores ad resistendum. Ita manibus aequis pugnabatur, & erant paria damna, siue nostri, vt sit erupissent, siue hostes moenia, & portas aggredirentur. Mox pestis, & fames validiora ferro, deditionem appropinquare, bellicosique Consules, & ille antea impavidus animus Archiepiscopi, siue turbæ pereuntis miseratione, siue proprio quoque metu, ad pacem quibuscumq; conditionibus rursus accipiendâ inclinant. Vido Blanderati Comes erat in Vrbe continuus Archiepiscopi, particepsq; consiliorum ipsius, & ad omnia, quæ agenda forent, promptus fide, prudentia, manu, nec spes alibi maior Pontifici. Hic ubi necessitatem vidit vltimam, Archiepiscopumque

N

fractum

fractum cupidine pacis, auidus ipse quoque vitae, quam in tantis calamitatibus minime esse tutam videret, vltro iam satis commotos animos impulit auctoritate sua, & si qui malebant gloriam, & exitium, quam dedecus, & salutem, hos de inutilis pertinaciae gradu dimouit, ac deduxit. Ipse quoque Cæsar fatigato tot inexpectatis vicissitudinibus animo, mitigabatur interdum, vt in tempore postea funestior exurgeret. Igitur petita de integro pax, & in has leges data. Populus, Consules, Archiepiscopusque Mediolanensis vt iurarent in Cæsaris verba: caeterum essent in libertate, viuerentque legibus suis: Sacramentum omnes dicerent à vigesimo quarto ad septuagesimum annum caeteri, qui minores, quique maiores, perinde haberentur, ac si iurassent. Comum, & Laudem sinerent ipsi vicissim esse in libertate legibusque suis, neque quicquam in eas vrbes auctoritatis, & iuris esset Mediolanensi praeter auctoritatem, & iura, qua Metropolitae Ecclesiam vtrunque subiectam haberet. Caeterae igitur immunes, & liberae parerent Archiepiscopo in omnibus rebus, quas imperare Archiepiscopus posset. Praeterea restituerent Regiam; captiui dimitterentur; haec, & alia donec fierent, darentur obsides, quos idoneos esse iuratus Archiepiscopus affirmaret. Scriptis, & acceptis vtriusque conditionibus, Mediolanenses ad Imperatorē accessere supplices, & venerabundi, fuitque foeda species eius diei, cum bellicosus antea populus, impauidi Consules, & Pontifex ipse vir clarissimus ad  
ho-

hostium pedes abiecti, pacem, & veniam implorarent. Incelsere autem hoc ordine. Praeibat Archiepiscopus, non iam suo more trabeatus augustissime, neque sacros inter honores micans gladio, sed simplici corporis tegmine, vultu, qui dolorem fateretur. Hunc sequebatur pari squalore turba clericorum, qui nudis pedibus maioris formæ cruces praeferebant. Alterum fuit agmen vniuersae nobilitatis, quae tanto mæstior incedebat, quanto sunt molliores in calamitate principum animi. Fertur Federicus ad eum adspæctum, velut ex barbaro, & infenso, mitis, piusque repente factus, gratias egisse Numini, quòd cõseruandae scilicet tantae Urbis sibi facultatem dedisset. In Archiepiscopũ deinde Consulesq; obuersus, de tua erga Urbem toties irrita clementia, & eorum in posterũ officio magnifice disseruit, vicissimq; illi ita responderunt, vt quae grata rebus videbãtur, gratiora verbis facerent. Facta in hũc modum pace reconciliataque gratia cum Archiepiscopo, Caesar Modoetiam est profectus, ibique ferreo diademate de more cingitur caput, mira populorum ob id spectaculum iucunditate, cum infensi nuper hostes, Caesar, Archiepiscopus, Consules, inter se certarent officijs, caeremonijs, ritibusque miscerentur, & sumeret Federicus Imperij solennia ex illius manu, cum quo ad interne cionem fere dimicasset. Ab eo reconciliatae gratiae principio pene in fœdam adulationem Archiepiscopus est delapsus, siue tot mala fregerant virum, siue fœda hæc praesagia, siue ineuitabilis exitij diuinitus accidebant, eaque adulatio in hunc

N 2 mo.

modum fuit . . . Post res bello feliciter gestas , suscepérat Federicus illam actionem , vt noua quoque populis iura , & leges daret ; Sed ne principum studia contra starent , verebatur . Itaque concilio ad Roncalias indicto , cùm superiorum temporum licentiam , turbatamque iuris descriptionem inter tot bella , tot tumultus demonstrasset , exposuissetque consilium suum , rogare sententias institit . Mediolanensis Archiepiscopus, ob suam , & Ecclesiae dignitatem primum in consensu locum obtinebat .

» Is orditur in hunc modum . Si Deus nobis potestatem  
 » fecisset, quem rerum exitum, quemue finem armis optaremus , alium profecto voluisset infusa mortalium animis vincendi cupidò , neque bonis ipsi nostris asensiremur, quae nobis ob id ipsum obligère, quia uicti sumus . Nunc censo tot bonorum, & huius insperatae felicitatis auctorem, ita colendum esse, vt eius natus. & voluntarem vice legis obseruemus . Antequam huic urbi sol exoriretur, fuerat tenebrae rebus nostris, & seruire tyrannis erat libertas, quia tantùm non spiritum, & vitam eripiebant . Iam legitimum, atque iustum imperium habemus in quo viuere ea demum est vita . Proinde censo leges accipiendas esse, quascunque Caesari perferre uilum fuerit, eumque qui secus fecerit, aut dixerit, nequaquam pro bono Reipub. futurum esse . Cùm hanc sententiam dixisset Archiepiscopus Mediolanensis, ea fuit omnibus pro lege, quid responderent . Ordine deinceps ininterrogati pronunciauere, non posse Rempublicam ijs stare legibus,  
 & in-

& institutis, quae perturbatione temporum inualuissent; opus esse noua rerum forma, nouaque iuris descriptione. Ita Caesar adhibitis in concilium principibus sapientiae viris ordinare de integro Rempub. est aggressus, deditque leges, quae mansere donec nomen, & imperium ipsius aboleretur. Ea Mediolanensis Archiepiscopi in Caesare adulatio, & ipsū, & Ambrosianā hanc Ecclesiā, urbemq; antea latè dominantē in ordinē penitus redegit. Cū. n. illi quos ad ea negotia consultanda Caesar adhibuisset, ita pronūciassent; Regalia deberi Caesari per vniuersam Italiam, euertit ea res veterem Ecclesiæ Mediolanensis fortunam, quae magnorū principū adhuc equabat opes, desuimusq; viuere more Regum. Non capitum, et ostiorum exactio, non flandi feruendi aeris potestas, non portoria, non vectigalia ex eo tempore fuere iuris Ecclesiastici, magnaue nomina, quae Archiepiscopus, et Dux, et Demarchus, et Comes appellabatur, cessere. Fremitus inde caeterarum Urbium est ortus in Mediolanensē Archiepiscopum, quod inueteratam et communem Ecclesiarum dominationem prodidisse vnus videretur. Sed aderat clades urbi tories vitata cū timeretur, nunc subeunda cū ciues minime eam expectarent. Namque cum Federicus urbem Mediolanum in potestate haberet, exilijt quidē tanto gaudio, quantū nomen erat Urbis, quantaue circa eam varietate dimicatum fuerat; sed ex parte altera, tot clades vel acceptae, vel illatae, tanta principum expectatio, tantumque momentum ex vno certamine in reliqua

dein-

deinceps bella victoris animum agitabant varijs curis, neq; in victoriae termino quid ageret, explicabat. Daretne urbem excidio sicut antea decreuerat idque statueret exemplū frenandis in posterum animis, qui detrectare imperiū, et vsurpare libertatem auderēt, an verò magnitudine animi, et clemētia in victos, augetet gloriam, alliceret rebelles, anxiusque & sollicitus erat. Ad haec, Ambrosiani nominis fama, Barnabas Ecclesiae patens, templa religionum augustissimarum destraxerant curam, ne hostes puniendo, gerere cum superis etiam bella videretur. Vicit ira tamen, eaque perniciofa dulcedine deceptus animus, perdere, quam ignoscere victis, delere, quam seruare Urbem, ad magnitudinem nominis illustrius, ad Imperij securitatem vtilius duxit. Die Lunae captae urbis nuntium ad Laudem Pompeiam acceperat; die Martis proximo Ticinum venit. Ibi, frequenti suorum cœtu sic esse locutus fertur. Octauus hic annus agitur, commilitones, ex quo relicta patria, rebusque carissimis in terram Italiam descendimus, vt ferream, aureamque coronas more maiorum Imperij Romani sollemnia sumeremus, & vt composito rerum Italicarum statu, deletisque Mediolanensibus hostibus nostris, aeterno monumento testatum faceremus, gentium nulli felicē aduersus nos, atque diurnam esse rebellandi temeritatem posse. Haec superba Ciuitas, cum datis obfidibus in nostra iurasset verba, cumque pacis conditiones accepisset, quibus acquiores, ne ipsa quidem potuisset optare; cum etiam indicta superiorum temporum

rum

rum obliuione polliciti essemus, futuram apud nos eo  
loco, vt nullus liberae gentis conditionem, cum suo  
statu mutatam vellet; haec inquam rebellis, & infida  
semper Ciuitas, duce sacrificulo, qui, ne desidem intra  
facella vitam ageret, belli fuit instigator, detrectando  
imperium, & sollicitando quietas vrbes, consilia, co-  
natusque nostros, & cursum rerum impediuit, cumq;  
arte circūspexisset pessima, quicquid vsquā nobis infi-  
dum, aut hostile, sociauit odia, miscuit vires, & quan-  
tum in Mediolanensibus fuit, nullum nomen impera-  
toris, nulla Imperij maiestas erat. Alexandrum adul-  
terinum Pontificem, irreligiosa tractantem sacra, &  
Apostolicae Sedis opes ab Ecclesiae defensione in no-  
stra damna conuertentem iunxere sibi; Derthonenses  
in nos armauere, ferreamque coronam negare sunt  
ausi, cū nos id Imperij mysterium vsurpando, ma-  
gnum, & Vrbi decus, & coronae splendorem afferre-  
mus; & quamquam aduersae pugnae, clades grauif-  
simae potuerant hos homines admonere, vt quietam  
turbidis antehabere, tamen insurrexit caeca semper  
rabies, & meministis, quae Mars communis interea  
pati nos coegit. Ad Cremam, ad Carchenum, ad Ve-  
ronam, omnia quae dura, & facua bellum habet, ex-  
perti sumus, famem, lassitudinem desperationem; &  
pene Imperatorem amisistis. Donec stabit haec Vrbs,  
nusquam tuta nobis erit Italia, cui tanquam thesauro  
praestantissimarum rerum illa validissima turris im-  
minet, quam oportet excindi, ac deleri, vt thesaurum  
ipsum assequamur. Opulenta, bellicosa, superba, situ

ac rebus omnibus, quas requirit vita, toties reparare  
 bellum, ac velut ex ruinis resurgere potuit, cum cae-  
 terae Vrbes ab eius contagione se se diremissent. Si  
 socios furoris inuenerit, ipsum, mihi credite Romanū  
 Imperium expugnabit sibi, quod ne accidat vitamur  
 indulgentia fortunae, quae nobis tantae rei facul-  
 tatem dedit, & hunc nostrae gloriae obicem excinda-  
 mus, ita ut ne nomen quidem eius, & memoria apud  
 posteros relinquatur. En exposui vobis animi mei sen-  
 sum, nunc, quid vobis item videatur, antequam ex  
 concilio discedatis, expecto. Postquam Imperator  
 dicendi finem fecit acclamauere omnes delendam esse  
 urbem, & quandam solo, nudamque aream relinquen-  
 dam esse monumentum inuisitae gloriae, rebellionis  
 infelicitis. Mandatum inde consulibus, ut multitudinē  
 vniuersam extra urbem educerēt; quod cum fieret, ac  
 sublatis, prosequisque rebus abirent, non erant virorū  
 clamores, mulierum eiulatus, neque in vltimo patrię se-  
 dis adspectu, stupor, & oculorum animique confusio,  
 sed festinatio, & fuga, necum patria vitam amitterēt,  
 quod hostile beneficium admirabantur, ac ne functio-  
 ra superuenirent mandata timebant. Abiere quo-  
 quemque casus tulit, infelix turba, Ticinum alij, Ber-  
 gomum quidam, nonnulli Comum, in alias alij Cui-  
 rates, vbi, sicut hospites, & amicos, affinesve pauci pri-  
 uatim inueniebant, ita communiter omnes ob vetera  
 odia, & similtates irridebantur. Pars etiam, nullum  
 vlla in parte receptaculum inuenientes, palati per a-  
 gros fixere tentoria, paruo iam necis, & vitae discrimi-  
 mine,

mine, quando nec haberent subsidia viuendi, nec honestae mortis exitum reperirent. Sed erat maxime miserabile agmen Sacerdotum, virginumque sacrarum, quae iam inde ab Ambrosij temporibus ad eam aetatem, varijs, vt in opulenta, & magna vrbe collegijs propagatae, turpi cum ceteris fuga miscebantur. Insubriae Metropolis, & Ambrosiana maiestas, & illa post Romanum fastigium inclyta sedes agebatur in exilium relinquens sua templa excidio, & captiuitati, quae rerum olim domina dare, vel adimere alijs poterat vrbes, regna, libertatem. Federicus dicitur, & inhumano aestuans facinore, quod agitabat, septimo post sententiam die ad delendam vrbe[m] Mediolanum venit, & quo magis exsatiaret iras, addidit superbiam, excidiumque delegauit illis, quos Mediolanensibus ob superiora, vel recentia bella maxime infensos sequi agmen iusserat. Laudenses, tota quantum Orientalis, & Tonsa Porta patebant regione, extendere ruinas iussi: Romana Cremonensibus data: Papiensibus Ticinensis: Vercellina Nouariensibus: in Cumanam, & Nouam fauere Nouocomenses, & Marthesani, praeter Caesaris mandatum, indulgentes etiam odijs suis, quibus potius ciuium corpora, quam Urbis tecta lacerassent. Tanto magis in res mutas, & inanimas dolorem effudere, fuitque rabies ea vt quatuor dierum opere, stragem ediderint, quae menses complures occupare posse videretur. Non templis, & monasterijs, non publicis alijs operibus ira pepercit, quae fuerant superiorum Caesarum monumenta, & saltem hoc ipso potuerant

O            listere

fistere furorem, vitae cladem; Capitolium, Hippodromus, Amphitheatrum, Arena, & alia propter, quae Metropolis visebatur. Ac tanta fuit dulcedo saeuendi, ut, cum sacra Turris Templi, quod Mariae Virgini dicatum imminebat foro olitorio, vitasset iniuriam altitudinis suae, hanc quoque excindi iuberet imperator, & multorum illico perita conatu, sacrilegium, & ruinas auferret. Neque solum in sacras aedes, & publica omnia priuataque aedificia, sed in sanctorum reliquias, qui maior fuit urbi luctus, barbarorum licentia debacchata est, ita, ut auro, vel argento, quo regerantur abrepto, sternerentur humi, ruinis accumularentur celitum ossa, & quantum ex diuina illa mortalitate per tot saecula seruare potuerat urbs auida talium, & foecunda. Corpora trium Magorum, itemque corpora Geruasij, & Prothasij, Naboris, & Felicis extra communem iniuriam fuere; sed ut auferret sibi non ut relinqueret nobis ea subsidia Barbarus, quasi tam saeuum animum respicere possent superi, vel ipse superos iam agnosceret. Profert sane Bernardinus Corrius ad se missum ex Germania monumentum huiusmodi. Federicus Romanorum Imperator primus filius Hermanni generosi Ducis Sueviae, imperauit triginta sex annos. Anno Imperij sui decimo Mediolanum deleuit, quo tempore soror Vicecomitis, qui erat in potestate Federici, ut redimeret fratrem, iuit ad Archiepiscopum Colonensem, & indicauit ei corpora trium Magorum; Gasparis nimirum, Balthassaris, & Melchioris; corpora Sanctorum Geruasij, & Pro-

„ & Protasij; corpora Sanctorum Naboris, & Felicis, quæ  
„ Brisachij in Basilica D. Stephani collocatae quotidie  
„ miraculis clarent. Haec fuit illa tantopere celebrata  
urbis direptio, quæ nomen Ænobarbi secutis postea  
temporibus inuisum fecit etiam apud eos, qui solitis  
inter accolæ certaminibus inuidentes Metropoli, post-  
quam odium expleuerant, misericordia tantæ cladis  
angebantur. Sed ambigunt aliqui tantane fuerit,  
siue clades urbis, siue Caesaris saeuitia, an verò minor  
aliquanto, sicuti pleraque rerum antiquarum, creue-  
rit historiae licentia, quæ sæpe parua pro magnis ex-  
tollendo, sæculis, & hominibus illudit. Quippe  
Gibellini plerique erant in Caesaris comitatu, ac suas  
facile seruare domos potuerunt, ut Guelforum excindē-  
do tecta, quæ aduersa factio erat, expleret odium  
Caesar; caeteris intactæ res manerent. Praeterea,  
vetustissima templorum, aediumque priuatarum fa-  
cies, & ante Ænobarbi ætatem posita monumenta,  
quæ manent adhuc, reliqui passim fuisse non nihil  
affirmant. Etiam prolatum illud à Corio testimo-  
nium, quo sanctorum Corpora detecta, & prodi-  
ta Caesari mulieris indicio, demonstrauius, am-  
biguam habet, obscuramque fidem. Quis enim  
credat, aut potuisse mulierculam scire quod popu-  
lus ignoraret vniuersus, aut, cum ea consensu pau-  
corum occultarentur, tantam fuisse vecordiam, ut  
muliebri ingenio rem permetterent. Id, sicuti tunc in  
ipso discrimine videretur anceps, & infidum, ita de-  
inceps in temporum illorum annalibus prudētia no-

strorum hominum esse mendosum putauit. Direpta Vrbe Federicus Mediolanensem agrum in sex partes diuisit, vt singuli Comarchi singulas obtinerent, quae antea locorum praefecturae, siue dominatus, fuerant Ecclesiastici iuris vnà cum caetero imperio, quod Caroli Magni liberalitate in hunc diem Ambrosiana regerebat. Nomina Comitum fuere Amphortius Miraghi, Abradiensis Leuci: Henricus Parazani, Arfella Brugariae: Nicolaus Seprij: Alicus Mediolani. Nam urbem ipsam, quod ad in formem redacta solum, & inane sine re nomen esset, affixit hac extrema contumelia, vt pari cum ignobilibus pagis iure censeretur. Hunc Alicum Caesar in Italia potestatis suae Vicarium reliquit, & omni veterum scribarum autoritate suppressa ac damnata, Gasparem quendam Aliatensem iussit nouos instituere scribas, addita poena, si quis hoc munus temere vsurpasset, vt ei radicitus lingua excinderetur. Simul imperatae decumae Valuassoribus, & Capitaneis, atque caetera omnia, quae fuerant Archiepiscopi decus aut possessio, nouis adempta legibus, & redacta in fiscum, abolita, deleta. Sed omnem acerbiter illa superauit acerbitas, quod noui dynastae, tamquam Caesari gratificarentur iniustae terrae luctu, atque desperationem, premebant iniurijs reliquias hominum & rerum, neque resurgere Urbem patientur. In publicum erant exactiones, & tributa, priuatim seruitus & mancipia, quaeue alia tyrannorum

inge-

ingenijs reperta delendis vrbibus, & vexandae com-  
municati, in tantum euecta saevitia, vt quos terra fructus  
quosue piscium, & alia greges aqua caeloque Deus ad  
hominum vitam spargit; attingisse capitale esset, nisi prae-  
cipua pars, & tota fere captura deferretur ad Magi-  
stratum. Status incessus, vigilia, quies, sol, umbrae, & ea  
quae iure naturae communia sunt omnibus, emebantur;  
cuius modo rei nomen erat, ea stabat tributo, sicque di-  
uexatis hominum animis, & oppressis vltima necessi-  
tate, minima erat cura rerum earum, quae ad ipsius  
animi salutem pertinebant. Religio, Tempa, Deus,  
infera pariter, & supera tradebantur obliuioni, fo-  
dumque dictu; cum fame perirent, deuoluebantur in  
sempiternos ignes, impietate, desperatione, vecordia,  
neque leuamen sperabatur ex Caesare, cui placeat ta-  
lem Insubriae statum, publicus rumor ferebat. Cum  
res ita se haberent, Aenobarbus, composito rerum  
Germanicarum statu redijt in Italiam, indictoque ad  
Iaudem Pompeiam conuentu, spem de se fecit, quasi  
tactus aliqua misericordia, & cura, res erigere, ac refo-  
uere fessas vellet. Itaque, tamquam sepultae Metropoli  
noua lux affulxisset, agmine facto quibus praecipua  
caritas in patriam, praecipuusque sensus erat calami-  
tatis, eunt imploratum opem; & quo magis flecte-  
rent immitem animum ipso etiam adpectu, singuli  
cruce[m] humeris baiulabant. Mouerat ea species non-  
nihil Imperatorem, auditoque quid exoptulantes ve-  
nissent, pauca dixit obducto vultu, quibus praefectos  
inculare suos videretur; ac sane crediderant moesta co-  
hors,

hors, vel iam satis expleſſe hoſtem iras, vel ſi qua teſi-  
 dua maneret ira, poſſe leniri eam, & mitigari. Mox  
 apparuit implacabilem eſſe animum, exituq; compro-  
 barum eſt antiquum illud, & vulgare; principes vi-  
 ros, quamvis hodie coxiſſe videantur indignationem,  
 & venenum, craſtina die tamen ad priſtina eſſe reditu-  
 ros. Nulla ſublevatis ope Mediolanenſium rebus,  
 abiit Caefar, Metropolimque ſuae reliquit calamitatis,  
 & offenſa Magiſtratum ſuperbia novas in accuſa-  
 tores ſuos iniurias excogitavit. Vbertus Archiepi-  
 ſcopus interea moritur ad Beneventum, cum poſt pa-  
 triae caſum illuc ſeſe contuliſſet. Ei ſufficitur Galdi-  
 nus, qui antea ſplendidum, in Eccleſia Mediolanenſi  
 munus obunuerat, Archidiaconus appellatus, eiusq;  
 viri nomine audito diſperſi per varia loca ciues animũ  
 ad aliquam nouae ſpei partem erexere Pinamontis  
 Vicomercati praefertim inſtinctu. Magna huic inter  
 ſuos authoritas erat, ingensq; nomen ob multa mili-  
 taria facinora, & pacis artes, quæ animi ornamenta  
 coniuncta cum opibus, & ſplendore familiae, tanto  
 magis pollebant. Hic exulantis patriae reliquias, &  
 ignominiam ciuili miſeratus animo, poſtquam Ponti-  
 ficem eſſe Galdinum vidit, cuiusmodi ſcilicet vi-  
 rum, qui mallet vitam amittere, quàm ferre tan-  
 tam Eccleſiae ſuae deformitatem, tali fretus adiu-  
 tore, conſilium reſtituendae Urbis agitare cœpit,  
 & ſe cum ciuibus communicata, ſegnes primo ad  
 eius rei conatum animos reperiebat. Nam que ob-  
 ſtabant plura; & ſicuti praecclarum foret, e tituliſſe  
 Urbem

Urbem, & ab interitu patriam reuocasse, ita difficultates occurrebant, quae praeclaros impetus tardarent, metus ex Caesare, vel absente, praesentes Magistratus, aemulae Ciuitates, & quod velut in hostico aedificandum esset. At Pinamontes, vbi languere studia, nec satis impigre mouere se se quenquam animaduertit, vrgendo suos acrius, & circumeundo sociorū oppida, perpulit dentum, vt tanti conatus gloriam, etiam si res ipsa non succederet satis magnum omnium periculorum, omnisque laboris esse praetium arbitrarentur. Pontida pagus est in Abduae fluminis ripa: nobilem aedem habet D. Iacobo Sacram, quae manet in hunc diem: tunc etiam turrim habebat aduersus hostilia perfugium. In eam aedem Pinamōtes, cū exciuisset eos, quorum auctoritate reliquam exulum moueri posse multitudinem intelligebat, sic esse locutus fertur. Viri Mediolanenses, & sociarum ciuitatum legati, qui hic adestis. Si stare adhuc vrbs nostra, iamque Metropolis in sua sede, quamquam labefactata belli cladibus, maneret tamen; si patriam haberemus, si templa saltem iniuriam effugissent; vteret ea deploratione, quam post tot funera, vltimamque vastationem in meserrimo rerum statu iustus excogitare dolor posset. Sed vrbe deleta, conuulsa Metropoli, domicilio religionis euerso, sepulta quoque patria, pudet segnibus vti querelis, ne ad caetera Mediolanensium dedecora hoc etiam vltimum accedat, vt patrijs emoti sedibus, muliercularum agamus ritu, quarum est, in magna calamitate scindere

„ scindere capillos, laniare genas, & celum ciulatus  
„ ferire. Quin potius agimus quod viros, quod Medio-  
„ lanenses decet, omiffaque muliebri querimonia, quae  
„ nihil ad extremum prodest, conamur in vltimis rebus  
„ aliquid, & experimur? Dedere Barbari nostram vr-  
„ bem excidio, nosque in has coniecere calamitates,  
„ non virtute sua, non suis armis, sed fatali nostra qua-  
„ dam inertia, & haud dubie superum nutu, ne magnum  
„ hoc Imperium ab omni parte beatum foret, vtque in  
„ continua tot annorum felicitate, Metropolis haberet  
„ suos luctus, non paruos, & obscuros, sed pro vrbis  
„ magnitudine duraturos in memoriam hominum sem-  
„ piternam. Vrbs Mediolanum antequam hoc pro-  
„ strata casu rerum humanarum exemplum praerberet,  
„ fuerat Inlubriae totius gubernatrix; Italicas Ciuita-  
„ tes, dominatus externos, Regna, Regesque defen-  
„ derat, & Hierosoly mam usque uim extenderat sua,  
„ cum Othonem Vicecomitem ad inclita Christi vesti-  
„ gijs loca liberanda destinaret. Ac si repetamus vlti-  
„ riora, iam inde scilicet ab Romanae Reipub. tempo-  
„ ribus, cum principes Vrbis, nomine Senatus Orbem  
„ yniuersum tenerent, nostra arma, ciuesque nostri vnà  
„ cum rerum dominis in rebelles pugnauere. Non  
„ Brennus capta Roma, non Hannibal tot illatis Italiae  
„ cladibus, non cum suo exercitu Pirrus pedem inferre  
„ potuit illuc, vnde nos barbarus nunc deiecit, vt ne nu-  
„ dū quidem solū vlli mortales incolerent. Proinde me-  
„ mores auitae virtutis, & accensi in barbarum odio, in  
„ segnitiam, calamitatemque nostram ira, conspiremus  
ad

„ ad restituendam Metropolim, qua restituta breui col-  
 „ labetur iniustus dominatus, & vos patriae liberatores  
 „ nuncupabimini. Timebunt Caesariani consensum  
 „ nostrum, & opere inchoato stabunt pro nobis, etiam  
 „ si qui memoria veterum certaminum infensi, nunc ex-  
 „ torres, & vagos insectantur. Iam nouus Archiepi-  
 „ scopus, & Summi Pontificis autoritate restitutum  
 „ Ecclesiae nomen, diuina simul, & humana adiumen-  
 „ ta nos vocant, ac si cessare velimus, ignauiam nostrā  
 „ apud Deum, & homines accusare videntur. Postquam  
 „ ea Pinamontes dixit, nemini omnium dubium fuit,  
 „ quin aperiēdas fossas, ducenda mēnia, struendum ag-  
 „ gerem, & excitandam à fundamentis Urbem cēserent,  
 „ addendasque moles, & turres, & templa, quae non  
 „ pristinam modò referrent imaginem, & faciem Urbis,  
 „ sed facerent etiam, vel in speciem illustriora, vel ad fir-  
 „ mitatem validiora omnia, quàm antea vnquam fuif-  
 „ sent. Iurauere sociarum Ciuitatum legati, qui erant  
 „ in eo conuentu, non defuturos vlla in re se se Metro-  
 „ poli, daturus operam, vt Mediolanenses quam tutissi-  
 „ me patriam aedificarent. Anno millesimo centesimo  
 „ sexagesimo septimo Pridie kal. Martias, qui dies erat  
 „ D.D. Vitali, & Valeriae sacer, precati Deū, vt ea res be-  
 „ ne atque feliciter eueniret, praeferentes vexilla duce  
 „ Pinamonte patrium solum attigere, positisque custo-  
 „ dibus, aedificare Urbem insistunt, & citius, atque feli-  
 „ cius omnino, quàm credi posset, opus est absolutum;  
 „ stetitque Metropolis cum pristina maiestate, & cultu.  
 „ Non templa, & caeremoniae, non antistites earum,

P primis

primis illis renascentis Ecclesiae temporibus defecere, sicut constat ex Galdini Pontificatu, quae rerum aliquarum, actionumque fecundum reperi tamquam in media pace, florentique Repub. Fecerat Lombardia Legatum eum Pontifex Alexander, quae magna erat potestas, & supremum pene regimen, ac similis fortuna veterum Pontificum opulentiae, tunc scilicet cum datam ab Carolo Magno fortunam obtinerent. Itaque primum, & antiquissimum omnium habuit, subiectas Imperio suo Ciuitates ad Pontificis Maximi obsequium traducere, dissidiumque tollere quo rebelles oppositum Alexandro Paschalem fouebant. Laudensis Ecclesia praecipue laborabat hoc malo, magnusque numerus ibi praepotentium Sacerdotum fauebat adulterino Pontifici; iustum, & legitimum adspernabatur, instigante praesertim Vberto Caritiano, qui sacrae dignitatis vocabulo epi maximi Praepositus in ea urbe erat. Magna ibi rerum perturbatio, & sicut in rebelli Ciuitate deprauata omnia, & confusa. Nam, & Albericum, Merlinum ex Paschalis factione seditiosum hominem, neque rite sacris initiatum, Episcopum appellarant, & cum in Federici verba iurassent, quotidianis flagitijs ea stabat fidelis; neque aut abdicare Paschalem, aut relinquere Merlinum poterat. Galdinus Archiepiscopus misit nuntios ad Consules cum mandatis huiusmodi. Facere Ciuitatem illam, neque pro veteri sua religione, ac pietate, neque pro Urbis salute, quod a Romani Pontificis obsequio maneat abrupti, quod sequantur irreligiosa sacra, quod Federicum hostem Italiae, penitus amplexi, ex illius

illius libidine Ciuitatem administrarent. Respicerent porto, & pro Paschale Alexandrum, pro Merlino iustū alium, legitimūque Pontificem sequerentur. Turbatori rerum Cantiano, caeterisque Praepositis, Abbatibus, Parochis, qui se se nefariae factionis duces praeberent, conuentus indiceretur; in eo conuentu Paschalem eiurarent, exuerent Merlinum. Ni facerent, longe ipsis, & Imperatoris nomen, & vim atque potestatem falsi Pontificis abfuturam. Laudenses, accepto mandato, trepidant verius, quā consultant, & in magna sententiarum animorumque varietate omnes conflictabantur eodem metu, ne Federicum, neue Galdinum irritarent, quandoquidem res esset in illud adducta discrimen, vt eorum alterum contemnere necesse haberent. Si manerent in suscepta semel sententia, pergerentque fouere Paschalem, retinere Merlinū Galdini pauebant iras; ac ne refecta iam viue, moueret ille arma tanquā in rebelles, verebantur. Sin autem obediētes Archiepiscopo, ex illius auctoritate rem componerent Ecclesiasticam, Federicus, & Paschalis ipse, & anceps fortuna negotij, minitabantur obsequio tristem exitum, eoque metu suspensos animos gerebant. Tandem Legati Mediolanenses, & veluti praesens maiestas Archiepiscopi, pluris fuere, studijsq; protinus in Alexandrum auersis, eiurauere Paschalē; consultantesque inde, quemnam facerēt Episcopum, haud multum haesitauere. Albertus quidam erat Ripae altae Praepositus, vir, si quisquam alius ea aetate consultissimus omnis humani, diuiniq; iuris, & no-

tus innocentia vitæ. Hunc in suo illo secessu quiduis aliud agitantem, populus, clerusque Laudensis Episcopum creant, creatusque rem Laudensem sancte, ac laudabiliter, & Galdino concors administravit. Id provinciale negotium inciderat Archiepiscopo, cum Vrbe restituta, ipsius quoque autoritas calamitate temporum imminuta paulatim inualesceret. Mediolani sub idem fere tempus eiusdem autoritate Galdini Xenodochium, siue valetudinarium Broliense restituitur, quod egenae turbæ subsidium in vetera Urbis strage dissolutum, amissumque iacebat. Otho Carsenzaghi praepositus, Ioannes Parochus Ecclesiae S. Sylvestri, Petrus D. Sixti vnà cum Anselmo Horto Consule, praefuere actioni, cuius monumentum Crescentiacensis Antistes ibi posuit, rei gestae seriem amplexus marmorea tabula, quam se vidisse Bernardinus Corius refert. At Ciues ipsi, quasi post tantam cladem, magnificentiae certamen animis imbibissent, & quasi recepta patria, vota, gratesque persoluerent, pro se quisque partem opum in sacrarum aedium cultum, in pauperum subsidia, sicuti tunc res erant, contulere. Manfredus Archintus ea liberalitate ante ceteros fuit, ditato Claravallis Monasterio Latifundijs, & agris, quae Monachis ultra solitariae vitae necessitates suffecere, donec Romana potestas partem assumeret sibi. Papienses, ab mutuis olim odijs, in nouae urbis admirationem conuersi, vltro pecuniae summam attulere reficiendae Marianae aedis turri, quod nobile opus praecipua inuidia excindi Federi-

cus

cus iusserat . Haec nuntiata Federico , superbum illum animum grauius perculere, vt varijs vno tempore moribus agitaretur . Dolebat tã cito surrexissẽ Urbem ex ruinis, nec aedificia modò, sed ciuilem quoque cultum, & religionem crescere miris incrementis . Irascebatur Ciuitatibus, quae spreto fœdere communem hostem adiuuissent . Timebat, ne tot irritati claudibus contumelijsque Mediolanenses ingens aliquod aduersus Imperij Maiestatem facinus auderent . Ob ea, legatos misit ad pacem cum Archiepiscopo Republicaque Mediolanensi faciendam . Breui duratura pax adhuc facta est in eas leges; ne se Federicus in posterũ Mediolanensium rebus immisceret ; Mediolanenses Federico tributum penderent, quod olim conuenisset . Neq; Archiepiscopus in ita pace diu superstes fuit, de cuius insigni finetradam , quae tempestatis; illius homines admirati litteris consignauere . Inualuerat ea tempestate per Italiam noua Haereticorum secta, qui ex Manicheis, & Arianis flagitiose coniuncti genus vtrumque repraesentabant Ecclesiae calamitatibus ; ac si pergerent vti ceperant , Ecclesiam facturi propria videbantur, monstrumque id daturi infame, & atrox . Mixtum, vt dixi genus erant ex importunitate Manichæorum, & Arianorũ vaecordia ; sed haec eminebat magis, ac nominis vtriusque vitantes infamiam , homines sese bonos appellabant , tituloque in vulgus celebrabantur . Mendacia in Christi fidem inuexerant haec, queis corrupti ipsi volebant corrumpere quam plurimos, & maiore ad perniciem vi quàm commu-

nes

nes Magistri veritatis ad salutem, dogmata talia quaedam ferebant. Veteris testamenti tabulas rem esse fictitiam, & inane; nihil usquam syncerae sanctaeque doctrinae, nisi quod recentioribus Euangelij litteris, nouoque Testamento contineretur. Fidem hinc & auctoritatem Sacris Ecclesiae Doctoribus abrogabāt vniuersam, testimonia proterue explodentes omnia, quae inde, vel ad monstrandum salutis iter, vel ad sensa explicanda diuinarum litterarum petuntur. Geminū illis erat Numen, quorum alteri frugi & probo cultus eximius, alteri improbo & nequam reuerentia minor. Ab illo caelestium choros, & à concretionem mortali se iuncta caetera impenetrabiliaque hominum oculis esse creata; conditorem hunc celi terraeque, & vniuersitatis huius quae malorum, & nequitiae sedes. Praerium ac religionem esse nullam lustralibus aquis, unde Sanctis Ecclesiae ritibus initia vitae, & spes salutis inchoentur. Aditum patere vnum ad salutem congregantibus procreationis causa viris feminisque, & diuinum id ingensque meritum fingentes, Magistri libidinis erant. Negabant iusta sacra iustosque Sacerdotes esse eos, quibus ex D. Paulli forma, & descriptione sancta puraque omnia non essent. Si quis, vel Episcopus, vel Sacerdos, non ad eam formam ageret, huic, neque obsequium deberi, neque decimas, neque quicquam aliud ad vitae subsidium, & dignitatem. Tempa & aras ponere Deo superisue irreligiosum; profanos qui caelestium imagines mortalibus materijs in vllam humani oris similitudinem effingant. Poenitentiae

nitentiae quoque Sacramentum spem & portum, aramque naufragae mortalitatis spoliabant vi sua, cum ita dicerent; sola confessione peccatorum id peragi mysterium; nihil opus esse doloris sensu sine quo res ipsa vana & irrita ex diuinis oraculis habetur. Haec, & absurdiora pleraque alia concionantes nitise aiebant Euangelij testimonijs; & ignari fere litterarum omnium, litteras, & auctoritates, quae contra afferri possent, omnibus irridebant. Initium & origo sectae per prouinciam Tolosanam fuerat, sordidisque, & obscuris exordijs in magnam auctoritatem, & famam euecta illa hominum, & errorum colluies latius quotidie diffundebatur, & Mediolanum usque progressa, pro magnitudine Urbis ad inficiendos ibi tabe animos inualecebat. Galdinus Archiepiscopus, cum per viros idoneos capita sectae rationibus, & argumentis confutare conatus esset, postquam sensit pestem insuper serpere per populum, & multos ciuium suorum eo veneno iam esse contactos, aduersus nefaria dogmata vi tota coortus, & scriptis, & verbo, sicut in partem vtramque pollebat, sanare corruptas suorum mentes, & scelestum illud insanumque genus ab stirpe conuellere nitebatur. Aderat cineralium ieiuniorum initium, quo die frequens populus in Templum maximum congregari solet, ac ferme signa pietatis, & ex praeteritorum dierum luxu collectae ad modestiam officiumque mentes, & inter mœstos Ecclesiae ritus etiam attonita mortalium pectora spectantur. Eo die cernens Galdinus infrequentiore

tiorum solito concionem, ratusque deprauatos Hæ-  
 reticorum illorum opinionibus ciues refugere à sa-  
 cris, vitare templa, non tulit dolorem, qui coe-  
 perat etiam antea sollicitare pastoralementem animam  
 cernentis aliquandiu iam in vrbe sua solitudinem cō-  
 temptumque sacrorum. Agebat Archiepiscopus oc-  
 togesimum annum, idque satis graue pondus labores  
 insuper quotidiani vigiliaeque degrauebant, aegreque  
 subsistens, ad id descenderat tantum, vt interesset rei  
 diuinae, quae die fortè illo per Algisium Cimiliarchā  
 fiebat. Sed cernens vt dixi squalorem ac deformita-  
 tem Ecclesiae suae, victusque dolore, postquam Euan-  
 gelio recitato, Concionatori de more suggestus ad  
 ornabatur, iussit adornari sibi, moxque conscendit, &  
 „ orditur in hunc modum. Afflicta iam dudum aeras  
 „ nobis, & emortua haec lingua caducumque corpus,  
 „ post tot habitas ex hoc ipso loco conciones silentij  
 „ prope legem vnā cum reliqui laboris vacatione impo-  
 „ nebant; & alijs potius hoc concionale tribunal relin-  
 „ quere tempus erat. Nunc, tremulum senem, & haec  
 „ languentia membra prouexit in hunc locum faedus  
 „ ad spectus Metropolitanae meae Sedis, & olim augu-  
 „ stissimi Templi, vnde transalpina secta, patriae suae  
 „ finibus exul, profuga & damnata mihi populum ab-  
 „ ducit. Tu ne igitur Ambrosiana proles, Insubriae  
 „ caput, domina, & magistra tot populorum, exulta  
 „ praecclarissimarum artium disciplinis, litterarum, &  
 „ prudentiae sedes, ludibrio eris inquilinis, teque men-  
 „ dacia delirantis impietatis in exitium trahent? Video  
 ego

ego video, quae causa spoliatum hodie frequentia &  
 de ore suo Templum dederit; cur adsint rari quos rari-  
 tate molis sinus antea non capiebat; cur etiam vultus  
 & ora murmurque tam dissipatae concionis, & cor-  
 porum inquietatio, & proterve diuagantes in omnem  
 partem oculi, & profecto similia cuncta tranfactis  
 proxime Bacchantibus, quam hodiernae luci, dispa-  
 rem animorum habitum praeferrant ab eo, quem in-  
 ter huius religiosissimi diei caeremonias nos quoque  
 cum laetis lacrymis ac tenero gaudio contemplari so-  
 liti eramus. Nimirum corrupta mea ciuitas est, & in-  
 fatuata portentis Haereticorum istorum, qui ex Ma-  
 nichaeis, & Arianis impute conflati, maiestatem sa-  
 crorum, & diuinos honores, & fundamenta salutis  
 euertunt. O nostros irritos labores, o misera studia,  
 infelicesque conatus, siquidem huc casura res erat, ut  
 in externam cuncta vanitatem, externumque scelus  
 abirent. Sed miseres etiam & vaniores ipsi, siue  
 dogmata absurda, & perniciofa iam in animum demi-  
 sissetis, siue flagitij nondum est tantum, & vester tamen  
 ad dedecora illa paulatim inclinatur animus, siue non  
 inclinatur, & proximi nihilominus estis, alijs qui flagi-  
 rium suscipere; scilicet ut contaminati simul & pro-  
 pediem contaminandi, vestrae simul alienaeque cul-  
 pae fontes, per manifesta itinera, per tramites inex-  
 cogitatos, & qua minime creditis via trahamini in  
 sempiternas poenas. Non enim hic mihi primus dies  
 intuendi pereuntem meum gregem; aliquandiu iam  
 est, cum eos etiam ingemisco perire, quos integros

Q

atque

» atque innocentes necessaria colloquia cum suis, con-  
» uiciusque quotidianus, & profecto halitus ipse tamquã  
» in morbosa domo adspergit sensim tabe atque inficit.  
» Quodque imprimis esse lugendum censemus, ne soli-  
» tum quidem in tali clade remedium est relictum di-  
» sputandi contra, & arguendi, & castigandi monen-  
» dique. Nam rationes & argumenta disputantium,  
» authoritatesq; & momẽta suadẽtis apud sanos valẽt.  
» Quid autem facias hominibus, qui mentem primò, &  
» rationem penitus abdicauerunt ipsam, deinde litteras  
» etiam & doctrinas lumina & adiumenta rationis pro-  
» pter amentiam suam sustulerunt? Disputare cum ta-  
» libus, insanire esset; nec minor insania, si quis aduer-  
» sus dogmata disputator incedat, quae sua confutan-  
» tur vanitate, & cadunt. Caeterae sectae, quas varijs  
» Ecclesiae temporibus ad furiarum instar contra Ca-  
» tholicam fidem Daemon obarmavit, quamuis inania  
» & falsa afferrent, speciem tamen eiusmodi aliquam  
» inter mendacia sua custodiebant, ne contemnere ge-  
» nus humanum, neue agere tamquam apud stultos vi-  
» derentur. Erant inter impios errores simulacra ali-  
» qua veri & sancti, & apud quos ea dicerentur, falli, &  
» tentari se se, credere poterant, non sperni, & irri-  
» deri. Noua haec secta exorta est, quae contume-  
» liose illuderet hominum generi, perniciemque ex lu-  
» do sibi & alijs quaereret sic atque inueniret. Quid  
» enim est aliud nisi ludus erga genus hominum & con-  
» tumelia, negare ac tollere veteris Testamenti sacro-  
» sanctam maiestatem, repudiare testimonia Patrum,  
mul-

„ multiplicare Numina, Baptitum adspernari, conuel-  
 „ lere sacros ordines, conuellere templa? Pœnitentiæ  
 „ Sacramentum etiam infirmare itaut magna illa res ni-  
 „ hil aliud quàm audax & inuerecunda narratio culpa-  
 „ rum fiat? Infandas istas & funestas ineptias si pectō-  
 „ re iam condidistis vestro Mediolanenses, aut si pro se-  
 „ minatores earum intra mœnia vobiscum eadem vi-  
 „ uunt; nequē mirum est deferi per infrequentiam ac-  
 „ squallere templa, paucosque qui conuenere, similes  
 „ esse absentibus; & labor inanis suscipitur ei, qui sanare  
 „ sic affectos tentat. Quæ vñquam impietas repudia-  
 „ uit diuina monumenta sacrae antiquitatis reliquias,  
 „ Oracula celi, & cum humano genere commercium  
 „ Diuinitatis, & omnis nostræ spei fontem, & vitæ  
 „ disciplinam, & veritatis lucem, & seriem miracu-  
 „ lorum, quæ primordia Mundi, conditæque morta-  
 „ litatis opus, & primorum parentum veneranda sacra  
 „ continentur? Ite nunc vos, & contemnite celestis  
 „ libros, quorum carmina, & singularum litterarum  
 „ apices ipsæ Dæmonum cateruæ perhorrescunt.  
 „ Amplectimini sectam, quæ vobis aufert elementa il-  
 „ la, primum omnium, ne quid honesti vsquam animis  
 „ occurrat, deinde vt contemptu diuinarum tabularum  
 „ ipsum contemnere Deum cogat. Amplectimini se-  
 „ ctam, quæ fatetur vltro susceptum sibi bellum inimi-  
 „ citiasque capitales cum omni sanctimonia & virtute,  
 „ sacrosque Doctores, ne coarguantur eorum litteris,  
 „ abominatur. Infelix & sordida natio litteras omneis,  
 „ cœu lucem odit, & quia non capit eorum impuritas rē

» sanctam & liberalem, ex Ecclesiae totius institutis atq;  
 » consuetudine hanc vult esse sublatam. Amplectimi-  
 » ni Mediolanenses praeclara isthaec dogmata nouosq;  
 » doctores potius quàm vt sequamini communem Ec-  
 » clesiae consensum, & inueteratos per tot saecula ritus  
 » & vocem ac documenta Sanctorum Patrum, qui vigi-  
 » lias inter & ieiunia, meditando, & scribendo, aetatem  
 » consumpserunt; queis diuina sapientia vltro sese pro-  
 » pter vitae innocentiam insinuauit, quorum ingenij acu-  
 » men, profundumque iudicium, & altitudo animi in  
 » singulis eorum verbis diffusa & expressa cernitur.  
 » Agite, ferte, perturbate cuncta, refugite à concioni-  
 » bus hisce; refugite à Templis, in lustra, & popinas,  
 » & Baptismum ipsum, quo aditu huc ingressi ad salutem  
 » estis, exiite, liberosque vestros, simul atque suscepti-  
 » erunt, a ditu posthac eodem prohibete ac praecipitate  
 » vltro in sempiternos ignes. Deuolimini vnà cum  
 » Doctoribus istis ad barbariem insanam, quae plures  
 » sibi Deos fingit, & Dijs istis vestris illudentes gloria-  
 » bundo ore fatemini peccata, vt statim ab Sacro Tribu-  
 » nali ad culpas redeatis easdem, quas iactando potius  
 » quàm confitendo, mysteria diuina deformaritis. In-  
 » caluerat dicendo talia senex Archiepiscopus, cumque  
 » ex nimia contentione latus ei condoluisset, sudorque  
 » esset infecurus, paulatim voce spirituque deficieba-  
 » tur, & iam cluſtantibus aegre verbis concidit inter  
 » manus Sacerdotum, qui latera cingentes adstabant.  
 » Fit toto Templo clamor atque comploratio commo-  
 » ris ad eum casum omnium animis, etiam si qui ade-  
 » rant,

causant

rant,

rant, vel corrupti malis illis opinionibus, vel corrup-  
tis alijs affines, & parati ad pellem introrsus accipien-  
dam. Pontifex plurimo cum fuctu circa sacrificij fi-  
nem expiravit, & qui concionantem audiuerant, pas-  
sim deinde admonendo castigandoque ceteros, sectā  
magnopere affixere, quae latitans & dilapsa paula-  
tim, nihil iam ex hoc tempore Mediolani nisi per furta  
& occasiones aduersus Catholicam fidem audebat.  
Ferunt neminem vniquam in hac Vrbe Archiepisco-  
pum tam flagranti post mortem desiderio esse cele-  
bratum; & cum eiusmodi lacrimis nihil citius are-  
scat, ad Galdini nomen in aliquot dies piorum ho-  
minū gemitus renouari solitos fuisse. Galdino mortuo  
seinduntur Ecclesiae principes in contraria studia; tur-  
batiisque dissidio rebus, Archidiaconum alij, plures Ar-  
chipresbyterum volebant. Demum ita res conuenit,  
vt neutra pars voti compos fieret, Algisiumque Cimi-  
liarcham elegere. Id accidit anno supra millesimum  
centesimum septuagesimo quinto, qui post restauratā  
Vrbem octauus erat. Insequenti anno, Federicus bar-  
bara leuitate perosus, quam paullo antea pacem ex-  
petierat, iterum delere Vrbem Mediolanum agita-  
uit, eaque destinatione Caratum vsque progressus  
populabatur agros, pecudum hominumque prae-  
das agebat. Archiepiscopus, Consulesque Medio-  
lanenses ea re perculsi, vocant statim ad arma iu-  
uentutem, omnique suo conatu ire obuiam parant.  
Iere subuexillis per sex Vrbis portas regionesue descrip-  
ti; vexillumque Reipublicae fuit crux rubra cādicana-

te campo. Agmen ingens, horribile, nec numero tantum, sed ira in hostem violatorem omnis humani, diuinique iuris, ruptorem foederum à quo deleri iam fuissent, qui delere iterum pararet. Sed maxime insignis ac tremenda species fuit cohortis vnus, quae se pro patria deuouerat, & ex eo societas Mortis appellabatur. Nongenti erant homines praecipuo corporis animique robore; arma illis, thorax aeneus, & securricula cum pugione: ducem habebant Albertum Glussianum enormi statura, qui gygantis ex eo cognomen obtinebat. Secunda societas erat eorum, qui Carrocio circumfusi, non die, non nocte stationem illam relinquebāt. Tertia currus armatos sequebatur. Sic aduersus hostem egressi diu manibus aequis pugnauere, donec strato signifero quidam è nostris Germanicam Aquilam adipisceretur. Mox Federicus suffolso equo delabatur, eoque calu Germanorum acies attonita, cum mortuum Imperatorem credidisset, dedit terga, nec tamen Mediolanensium effugit iras. Causi complures: Imperator ipse aegre euasit. Victoriae dies fuit ad iv. Cal. Iun. quo die Martirium, Sisinium, & Alexandrum anniuersaria celebritate recolit Ecclesia, eumque diem, Archiepiscopus, Consulesque Mediolanenses populo Mediolanensi sacrum, & solennem esse iusserunt, ut monumento esset ad posterostam nobili victoriae, & quia prope natalis ille Reip. dies videri potuit, quo tantum hostem fudissent. Auardus quidam erat ea tempestate, cui cura

con-

consignare litterarum monumentis quodidianos Reip.  
casus, & custodite memoriam rerum. Is de ea re ita  
„ scriptum reliquit. Fortuna quae pe<sup>m</sup> miscens omnia  
„ more suo, pene ad imum redegerat Mediolanenses,  
„ nunc verso malorum orbe, tollit eosdem ad sydera;  
„ quamquam non fortunae, sed ipsius Dei fuit opus, af-  
„ fligere Metropolim, dein extollere, barbarumque im-  
„ potentem euoluere summo rerum, culmine. Federico  
pulso, quiete post faeuos tumultus parta, compositis  
etiam Ecclesiae rebus, Archiepiscopus moritur. Ei  
sufficitur Vbertus Cribellus Archidiaconus Templi  
Maximi, qui postea fuit Urbanus III. & Bernatense  
Monasterium instituit, datis opibus, quae manent in  
hunc diem, & concessio priuilegio Cribellæ genti, ex  
qua ipse erat, vt Praepositi, siue Antistitis eligendi ius  
penes eam foret. Algisio hoc Mediolanensem Eccle-  
siam obtinente, Constantiense Concilium à Federico  
indicitur ob restamdiu turbatas, & conciliandis Prin-  
cipum, & Rerump. animis, qui propter damna,  
vel accepta, vel illata manebant infensi. Itaque  
Consules, Archiepiscopusque Mediolanensis, cupidi-  
ne pacis, & bellorum taedio, legatos misere cum eius-  
modi mandatis, vt quamcunque possent honestae pa-  
cis viam tentarent; si pax aequis conditionibus facta  
esset, se postea authores fore. Legati sunt missi, quos  
amore patriae, rerum vsu, generis claritudine maxime  
insignes, tanti moliminis negotium postulabat. Fue-  
re autem, Guidus Landrianus, Pinamontes Vicomer-  
catus, Adobatus Bultraphius, Giulienus Burrus, Guca-  
cius

cus, hostilius Ardericus Bonates, Rogerius Marcellinus, Lotharius Medices, qui agendo varie, praensandoque Caesaris familiares, honestam vrbi, Caesari non indecoram pacem retulere. Erat in eo conuentu Henricus Federici filius ob egregium animum ab illo in Imperij partem assumptus; amico idem in Mediolanenses animo patris detestabatur iras, ode- rat saeuitiam, & regni sui meliorem esse famam cupiebat. Is cum ostendisset patri, quantas ea pax oportunitates habitura esset, cumque preces accuratissimas addidisset, perpulit ipsum quoque fessum aduersis casibus Imperatorem, vt obliuione praeteritorum indicta, fidam in posterum cum Ecclesia Rep. que Mediolanensi pacem sanciret. Consensu legatorum conuenit post ancipitem deliberationem in has denique condiciones. Mediolanenses vti Federicum agnoscerent Italiae Regem, eiusque nominis honorem intactum esse paterentur. Federicus vicissim ipse non laceraret in posterum bello rem Mediolanensem, ac si quod Reip. bellum incideret, caperet pro nobis arma, nostrorumque inimicorum esset inimicus. Liberum esset Imperatori, Mediolanum venire quotiescunque vellet, venientem, Archiepiscopus, Consulesque pro iure, ac maiestate nominis eius acciperent. Quatuor viros nominaret Imperator vsu rerum peritos, ex quibus Ciuitas eligeret Praetorem; Praetori Seprium, & Marthesana parerent. Nominauit Federicus e quorum numero fieri Praetorem vellet, agrumque Mediolanensem certis limitibus, et terminis finiuit, & omnia,

nia,

nia, quæ Pontifices Caesaresue indulserant Ecclesiae  
Mediolanensi firmavit aurato diplomate in quo ad-  
scripta dies fuit iii. Non. Feb. annus verò supra mille-  
simum centesimum octogésimus quartus à salutifero  
Virginis partu. Sic apud Bernardinum Coriura  
erat, cuius fidem, & in patriae rebus diligentiam  
libenter sequimur. Sed annales alij diuersam aliquã-  
to negotij seriem habent; nec priuatum id Reipub.  
Mediolanensis, sed Italiae totius consilium fuisse pe-  
tendae pacis tradunt: missos quoque prius à Federico  
legatos in Italiam, & pacis conditiones alias exequun-  
tur, sicuti legatio communis fuerat, ita communes ip-  
sas Italiae toti. Propria illa Mediolanensium fuit.  
Laudensem Ecclesiam, vt finerent vt legibus suis,  
neque nouare quicquam tentarent, quo Ecclesiae il-  
lius libertas minueretur. Ordinatis in hunc modum  
rebus, paceque facta, Federicus cum magno procerum  
comitatu Mediolanũ venit, & Mediolanenses accepe-  
re quaesitissimis honoribus, ac fuit rursus vtrinque cer-  
tamen humanitatis, quale solet esse, cum post magnas  
veteres iniurias reconciliatae voluntates beneficijs, &  
obsequijs antestare inuicem conantur. Henricus Fe-  
derici filius haud multò post venit supra patrem etiã  
cultus Ecclesiae, populoque Mediolanensi effusa in se-  
nem adulatione, qui laetos in filium animos,  
gloriam, & felicitatem esse suam arbitrabatur. Co-  
ronauit eum Archiepiscopus, idque solenne in  
Ambrosiana Basilica de more est celebratum. Mox,  
& nuptiale sacrum celebratur data Principi in matri-  
monium

R

monium

monium Constantia Rugerij Siciliae Regis sorore,  
 quae, cum ad quinquagesimum aetatis annum fuisset  
 in sacrarum Virginum coetu, versa post fratris mortē,  
 domo deseruerat claustra, quasi corpore iam effesto  
 restituere ipsa penates posset. Discessit postea Mediola-  
 no Federicus, & cum Rhegij cōstitisset, noua illuc missa  
 legatione Mediolanenses, obsequium ei detulere lar-  
 gius quàm quod priore legatione detulissent, vltroque  
 sese nouis conditionibus obligauere, quas remunerās  
 Imperator haud minore magnificentia remisit Ec-  
 clesiae Mediolanensi iura, quae perturbatione tempo-  
 rum vsurparant Caesares Archiepiscopo creando, libe-  
 rumque deinceps esse vrbi eligendi Pontificis arbitriū,  
 & potestatem iussit. Multa inde alia Princeps vterq;  
 pater, & filius in eo reconciliatae gratiae calore dede-  
 re populo Ecclesiaeque Mediolanensi; ac nequid ob-  
 staret libertati, Praetorem quoque ut facerent arbitra-  
 tu suo, quod antea iuris Imperatorij fuerat, permisū.  
 Ita res vniuersa Mediolanensis hoc tempore libertate  
 fruebatur intacta, tenebantque Remp. Archiepisco-  
 pus, Consules, Praetor, diuiso inter ipsos, imperio, &  
 iurisdictione tripartita. Nam Archiepiscopus, praeter  
 summam in sacra, & sacros auctoritatem princeps  
 atque arbiter erat vniuersae nobilitatis; auri, argenti,  
 aetis, flandi, feriundi ius habebat; in ea quae impor-  
 tantur, & exportantur, vectigal exigebat, reco-  
 gnoscebat quoque pondera, & stateras, & ne qua in  
 mercimonijs, in contrahendo fieret fraus illius erat  
 cura. Nudus ei gladius praeferebatur summae po-  
 testatis

rectatis argumentum . Sed ne praedictus augustissimo  
sacerdotio, sanguinarijs decretis contaminaretur, ca-  
pitulis iudicia penes Praetorem erant . Reliqua Con-  
sulum erat administratio, quorum vnus Reip. Iudex  
nuncupabatur, nec aliud, quam in damna ciuium ius  
habebat; si quis alterum pulsasset, aut aliquo modo  
affecisset iniuria, ad Iudicem hunc ibatur, si tamen ini-  
iuria citra sanguinem stetit . Alioqui, neque cogno-  
scere ille, neque plectere poterat . Si faceret illico ma-  
gistratu abdicabatur . Cum id regimen, haec Reipub.  
forma esset Mediolani, pars gloriae fuit, quod Vber-  
tum Cribellum Archiepiscopum congregati de more  
patres Pontificem Maximum creauerunt . Suffectus in  
eius locum Milo Cardanus, non Ciuili, non Ecclesia-  
stica prudentia dispar, bellica virtute maior fuit .  
Incidit huic Pontifici statim grauissima cum Nouoco-  
mensibus contentio, quatuor ob Plebes, siue regio-  
nes, quas pars vtraque sibi vindicabat; nec aberant  
alterutris iura, siue iuris imagines, praecudicia, tabulae,  
quaeue alia perniciosam alere litem possent, & auge-  
bant dissidium ipsa paganorum ingenia prona in hos,  
aut illos, vt beneficijs, aut animorum inclinatione du-  
cebantur . Plebes autem ipsae, siue Pagi de quibus am-  
bigebatur, fuere, Mandellum, Liciniforum, Osatum,  
& Finum, obscura nunc nomina, tunc, & priuatim  
epibus, & publice armis ad eam formam, vt grande  
momentum haberentur, quamcunque in partem se  
dedissent . Postquam aliquandiu dimicatum est, de-  
num Archiepiscopi moderatione, partium assensu, res

ita conuenit, vt Mandellum, & Finum essent in Mediolanensium Imperio, caetera Nouocomenses obtinerēt, eaque mansit diuisio donec nouis temporum, & rerū casibus immutaretur. Pacis condiciones fuere, ne quod faedus, quamue societatem ex gentes inirent cum Ecclesia populoque Nouocomensi, absque Mediolanensium auctoritate; si qua foret inita, rescinderetur. Si quod bellum incideret, praesto vicissim essent uiris, & armis, omni demum ope, alteri alteros adiuuarent. Et opportune ad experiendam nouae amicitiae fidem Cremonenses à Cremonensibus laceffiti bello Metropolitim implorauere, statimque cū Archiepiscopus, & Consules ad arma foederatos vocassent, ab illis haec impigre suscepta est militia, caesique hostes, & fusa Pax ea deinde Nouocomenses inter, & Mediolanenses, quò firmitior foret, primo post victoriam anno renouatur, ad priores condiciones hac adiecta conditione, vt si quis Mediolanensis Ciuis Nouocomensium ciuium damnum aliquod intulisset, aut vicissim inde nostris aliqua facta esset iniuria, iudicia de rebus illis exercerentur. Per eos dies, Philippo Lampugnano fedente (nam Milo decesserat) mutatur Mediolani regimen, & forma Ciuitatis. Nam opulenta plebes, & illa suarum rerum anxia multitudo, quae fere negotiatorum erat, proprios sibi Duces optauit in quorum tutela per fugium aduersus opulentiorum iniurias haberet. Alia Classis institorum, atque sellulariorum sub praesidio latebat. Sancti Pontificis Ambrosij vetusque Credentiae nomen inter ipsos fidei vinculum erat.

erat. Tribunum sibi fecerant è Marcellina gente nomine Dordum, eique stipendium, & domicilium attribuere, quod Credentiae turris dicebatur. His insigne erat alba lacinia nigro intexto, separatimque regebantur. Tertius ordo constabat ex Mottarum familijs, quae quondam ex eo quod patrijs emotae sedibus fuissent, id nobile cognomentum habuere. Quartus erat dominatus Capitaneorum, & Valuasorum, quae praecipuae nobilitatis, & magnae potentiae nomina parebant Archiepiscopo, eaque pars Reipub. cuncta sub Imperium habebat, & quamquam caeteri speciem libertatis usurparent, in sua quique classe, tamen omnia huc vergebant, Archiepiscopusque, suis, & factionis opibus sacra simul & profana moderabatur. Sed in tanta Imperitantium varietate, secutum est id quod necesse erat, ut nimirum ardescerent mutuis odijs, factionesque vicissim sese exturbare conarentur. Ac superba in primis, & delicata nobilitas infimae plebis pertaesa secessionem, urbisque dedecus rata, si artifices, & operarij starent in aequa libertatis parte, propriumque dominatum haberent, eam dissolvere factionem institerunt, Archiepiscopo non repugnante, qui diuisum in tot partes Ecclesiae Mediolanensis Imperium aegre concoquebat. Itaque ad euertendas plebis opes societas instituta Galiardorum, quod apud Italos praecipui roboris est nomen. Sed domi, quamquam inter infensos, inuicemque suspectantes, otium manebat, magisque iacta erant semina ciuilibus belli, quam vlllo modo bellum ipsum gerebatur. In Pla-

rentinos, & Ticinenses aeternos hostes Reipub. ductus exercitus feliciter pugnauit, domitique cladibus, & sub iugum missi, Mediolanum misere Cōsules suos, ad petendam pacem, & iuratos in verba Pontificis Lampugnani. Data pax est, accepitque Sacramentū Archiepiscopus, eaque res publicis tabulis testato cōsignata. Mox domestici tumultus exarsere, praeriumque fuit partibus, & Archiepiscopo remittere de suo iure non nihil, potiusquam experiri furorem, & potentiam plebis. Saccus erat quidam Laudensis consultissimus vir, vt in illa quisquam esse poterat aetate iuris omnis humani, diues idem, & celebratae nobilitatis, quodque in tantis opibus debuit esse, rarissimum, acceptus infimis, & summis, ac fidus vtrique parti. Hunc excitum ab domo faciūt arbitrum rerum, quicquid ille statuisset, ratum id fixumque habituri; tanta increta autoritas viro, studiaque tam effusa in illum. Saccus igitur hic, Mediolanum profectus, & accepta summa potestate, primum omnium novos magistratus aboleuit, reuocauitq; Consulatum, vtile id regimē existimans, & salutare Reipub. nec alia de causa sublatū nuper, quā quia turbatis rebus vetera semper fastidiuntur. Cōposito deinde vniuerso alio ciuiliū rerum statu, Reipub. moderator, ad externa curam vertit, inter quae, vetera cum Ticinensibus dissidia, noua & infida pax, praecipue animum sollicitabant. Quippe damno, malisque in praesentia quieti, data rursus occasione redituri esse ad ingenium videbātur, & turbaturi vr̄bis statum. Itaque placuit renouare  
 cum

cum illis foedus, & ad continendos in fide animos, iussit excindi partem eam moenium, quae obuersa in Metropolim esset. Simul monuit, ut sisterent Mediolani Carrociū, & equestrem Antonini Caesaris statuam, quod remisit Archiepiscopus magnifica moderatione contentus obsequio, cum se facturos ostendissent. Ipsum postea Saccum, nobiles ob merita praetorem creauere, nec diuturnum id tantae virtuti praemium fuit ob inuidiam plebis, quae minus sibi libertatem arbitrabatur, si rerum summa penes eum Magistratum foret, qui patrum favore subniteretur. Ita reditum ad vetera, tresque Praetores creati, Tarius Mandellus, Dominicus Burrus, & Manfredus Ossa, non sine mutuis caedibus, & magna totius Ecclesiae perturbatione, donec Lanrelnus Landrianus violentos animos composuit auctoritate sua, & postquam acquievere, Consules creauit. Nulla fortasse ciuitas, prouinciaue nulla, & Imperium fortasse nullum unquam fuit in quo tot casuum humanorum spectacula, totque rerum vicissitudines atque commutationes exhibuerint ciues ipsi, vel hostes, regesque, aut pontifices, aut tyranni, bella, pax, nobilitas aut plebes, Clerus aut populus, negotia, tum domestica, tum externa, tristis aut secunda fortuna Urbis, in tantum euecta, hinc vel depressa, ut fieret urbs ipsa ager, & solitudo, resurgeretque rursus, & celebritate maiore frequentaretur, ac statim antiquae varietatis capus rediret. Aenobarbus profecto ipse, qui stragem, & ruinas dedit, quo inuito pristinae moles sterere, varietate ac dissimilitudine sua monstrum.

strum fuit, saeuus idem & aliquando mitis, victor  
sub mœnia ista & victus, & post mutuas clades ami-  
cus nobis; religione clarus interdum, & delens vrbes,  
vt Pontificatum deleret, exitu quoque vitæ tam dirus  
Imperator meritis apud pios lacrymarum partem.  
Namque reconciliatus Vrbi simul huic, & Pontifici  
Maximo, cùm extremo vitæ actu veteris suæ fabulæ  
delere culpas agitarer, atque ad vindicanda  
Hierosolyma, profectus, Sultanum ibi  
profligasset, in traicctu flumi-  
nis ob equi lapsum  
perijt.

